Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift

operum agentes qualiter valeamus imitari exempla sanctorum vel ipsam veritatem
ad cuius imaginem facti sumus. Per spiritum timoris domini debemus requiescere in re-
quie vite eterne. quia inicium sapientie timor domini est. Iste generaciones celi
et terre quando create sunt in die quo fecit dominus celum et terram. Superius vii.
dies numerati sunt nunc unus dicitur dies quo fecit deus celum et terram. et omne virgul-
tum et omnem herbam regionis. Et huius diei nomine secundum prophetiam
omne tempus vite huius significatur in quo celum et terra factum est. in quo creature
invisibiles disponuntur administrantur atque existunt. Hinc est quod moyses
et distincte per dies singulos condita omnia retulit. et tamen simul omnia
creata subiunxit dicens. Iste generaciones celi et terre quando create sunt
in die quo fecit dominus celum et terram et omne virgultum agri antequam oriretur
in terra. omnem herbam regionis. Qui enim diversis diebus creatum celum et terram vir-
gultum. herbamque narraverat. nunc uno die factum manifestat. ut liquido osten-
deret quod creatura omnis simul per substanciam extitit condita. quamvis
non simul per speciem processit. Sequitur. Non enim pluerat dominus super terram. et homo
non erat qui operaretur. sed fons ascendebat de terra. Augustinus. Irrigans universam
faciem terre. Si universam terram irrigabat. diluvium igitur et montes rigabat. quia
montes utique terre sunt. si montes rigabat diluvium erat. et quomodo terra
germinaverat herbam virentem et facientem semen. Aut quomodo homo
habitabat in terra. si universam terram aqua tegebat. Et fons positus est singularis
pro plurali numero. hoc enim si sollicite requiras in scripturis sanctis frequenter reperies.
habes nempe in psalmo misit in eos muscam caninam et comedit eos. et ranam
et exterminavit eos. Dum utique nec una musca non una rana fuerit. Et
alibi venit locusta. non ait locuste sed locusta. Et habet singularem numerum
pro plurali. Secundum quod ait nobilissimus poetarum. uterumque armato milite com-
plent. Porro autem propter unitatem nature dictum est fons. ut in eo omnes fontes